



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Magnus conatus cum dolo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

SIquid autem omni conatu, omniq; arte doloq; factum, hieroglyphicè veteres ostendere voluissent, Leoninæ pelli Vulpinam assuebant, quarum altera vires, altera fraudes indicaret : id quod, ut inquit Plutarchus, adagii loco sæpe usurpatum est à Lyfandro. Dicere namq; solebat is : *Leonis* jiciendos. Omnem enim is ingenii vim ad hostes dolo fraudeq; decipiendos converterat. Quam sententiam secutus Majo, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* ait. Dixerat vero longe prius Pindarus in hanc sententiam,

Plot. in Lyfandri Vita
Aneid. l. 2
Pind. in Isthmis.

Τόλμα γδ εικώς
Θυμὸν ἐρεχθεμέθων θηρῶν λείοντων
Ἐν πόνῳ, μήτιν δ' ἀλώπηξ.

Leonibus vastum rugientibus audacia animum ministrat ad invadendum, consilium verò Vulpes.

RATIOCINATIO. CAP. XVII.

AD hæc nonnulli adjungunt, hominem discursu mentis & ratiocinatione utentem, per Vulpem significari, quæ aurem ad terram apprimat : ea enim paludosam aliquam regionem peragraturu, si de foli firmitate dubitaverit, aure admota terræ contatur, an strepitum sentiat exploratura, quem ubi percepit, non esse soli firmitudinem conjeçtat, sed infirmam & voraginosum locum, ideoque non progreditur : nullo vero auditu sonitu, omni semota contatione ire pergit audaciter. Videtur autem inde uti ratiocinatione, ut observabat Plutarchus, perinde ac si quod strepit moveri cognoscat, quod movetur infirmum esse, quod vero infirmum, inaccessible. Tradit idem auctor, Thracas in paludibus explorandis hujusmodi Vulpium indagine plurimum uti, quas in obsequium assuetas alunt, & ad hujusmodi negotia præmittunt.

Vulpis indagatio diligens.

MUNIMENTUM. CAP. XVIII.

Quod si munimentum ab insidiis alibi per Platani folium à Ciconia gestatum, nidoq; illatum suo, & per rutæ ramusculum ad alam Gallinæ summistum, significari diximus, non erit incongruum idem hoc hieroglyphicum per Vulpem, quæ scillam gestet exprimere : illa enim scillam latebris apponit suis, ut à Luporum injuria tuta sit. Nam Lupum convelli ajunt scillæ contactu.

DE FIBRO. CAP. XIX.

Fibri significata dicturus, id primum ambigi video, numquid is Castor sit, quo de apud Horum mentionem factam invenimus. Nam qui Castoris ingenium, mores & faciem describunt, eadem ipsa pingunt, quæ veteres nostri de fibro retulère : eundemque & fibrum & Lytram Varro ponit, fibrosque eos appellari quasi fimbrios dicas, ab extremis fluminum oris, in quibus maxime versantur. Succidunt enim arborum radices per fluviorum margines, ubi cubilia sibi parant. Unde Plautus : *Sic me subas quotidie quasi fiber salicem.* Sunt qui extremas fluminum oras lytras olim dictas autement, & antiquos fibrum pro extremo posuisse. Unde in sagulis fimbria, & in jecinore extremum fibra, hinc Fiber dictus. Sunt tamen qui lytram diversam à fibro velint, & fibrum à Castore, Castoremq; à lytra aliud esse animal contendant. Sedenim tres ejusdem generis species observarunt Scythæ, rusticum, nobilem, & regium, quos à villorum mollitie & colore, neq; non magnitudine distinxere, delicatissimum omnino Lutram appellantes. Accolere vero omnes fluviorum ripas, foramina diversa facere, mutare domicilia pridie quam flumen crescat, in conveçtandis in cavum pomis, miræ esse solertia. Horum porro testes Castorea nuncupari : vimque maximam esse iis, qui nascuntur in Ponto, in aliis regionibus non æque pollere.

Fiber quid, unde dictus, & ejus species.

PETU.